



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

L. Ioannes III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

omnia alia hostibus in prædam cesserunt, nostris de-  
uictis, vel potius antequam vincerentur, fuga dila-  
psis'.

Facultates Episcopatus luculentis accessionibus  
ampliauit. Qui cum cathedram S. Willibaldi laudabi-  
liter annis X VI. Mensibus III. demptis duobus die-  
bus, tenuisset, in grauem morbum incidit, quo & ex-  
stinctus est. Anno salutis M. CCCC. XLV. die sancti  
Gorgonij Martyris, circa ætatis suæ annum LV. sepul-  
tus in choro S. Willibaldi ante altare B. Barbaræ Vir-  
ginis & Martyris'.

Sub hoc Episcopo, anno M. CCCC. XXXVI.  
habitus est Eychstadij conuentus principum ad re-  
conciliandos Bauariæ Duces Henricum & Ludoui-  
cum; cui conuentui ipsemet Ludouicus præsens in-  
terfuit, sed irrito conatu, dissensionibus non extin-  
ctis, vt scribit in suo Chronico Andreas Ratisbonen-  
sis: eadem reconciliatio paulò post auctoritate Con-  
cilij Basileensis tentata est, scriptæque pacis leges, in-  
quibus si quid dubitationis existeret, iudex datus est  
Episcopus Eystettensis, quisquis pro tempore fo-  
ret.

### L. Joannes III. hoc nomine.

Huius Episcopi res gestæ in Codice M. S. seu in  
Supplemento Gundackari copiosè describuntur.  
Quam descriptionem hic verbatim inserere placuit.  
*Ioannes de Eych, Præpositus VVetzflariensis, Subdiaconus &  
Canonicus Ecclesiæ Eystettensis, Cal. Octobris, concordia cano-  
nicorum voto, non sine expectatione & plausu maximo popu-  
li, in Episcopum eiusdem Ecclesiæ eligitur. Qui post dies pau-  
cos à Theodorico Archipræsule Maguntino, super Romano*  
Ponti-



Pontificatu, eo tempore Eugenio & Felice contendentibus, confirmatur, & in Decembri Diaconus, Quadragesima Presbyter & Episcopus ordinatur. Is ex patre Carolo de Eych, viro militari, propter singularem prudentiam & facundiam Franconia notissimo ac praeipuo: ex matre Margareta de Heltpurg, femina pudicissima, natus, ut ingenio, sic eloquentia quam plurimos sua aetate superavit, praeter ceteras tamen bonas artes iuris utriusque olim studiosior fuit, doctoralique mitra duplici redimitus, VViennam postea accersitur, Pontificium ius publicè ac ordinariè lecturus. In quo exercitio diu versatus, tandem Alberti Austriae Ducis, ad quem Romanum Imperium postea delatum est, eoque mortuo Alberti, qui Frederici Caesaris frater fuit, curiis addictus, atque utriusque Cancellarius fuit. In Concilio Basileensi regium oratorem magnificè gessit, indiesque rerum humanarum experientia amplior ei accessit, ut etiam ad rempublicam gubernandam, merito Pontificale officium, idoneus merito videretur.

Eloquentia igitur, prudentia & doctrina eximie clarus, cum iam pastoralem mitram accepisset, virtuteque se redimere, ac exemplo boni pastoris, gregi sibi credito studiosè prodesse conaretur, multo seruiore, tantaque gravitate pontificalia officia perfecit, ut assistentibus numen quoddam caeleste praesens videretur; ipsemet ad populum plerumque sermonem habebat, ipse Clericos, vestes sacras, vasaque consecrabat, & quod magis mirere anno Iubilaeo confessiones ipse audire non dedignabatur.

Erat insuper clementia & humanitate conspicuus, suorum querimoniis aures per benignas quotidie praebere, simplicitatem & ineptias eorum, quo ad potuit tegere, aut humanissime ferre solebat: Christi pauperibus potissimum se clementem exhibens. Nam eorum nemini ut cunque misero aut abiecto aures negabat, quos plerumque inter equitandum ad



se tendere videns, incessu segnes, etiam inter pluias & ventos operiebatur. Neminem prateriens, cui petenti eleemosynam non daret, asseuerans opes Ecclesie idcirco tantum modo sibi gratas esse, quod pauperum necessitatibus ex his posset succurrere. Sobrietatis ac parsimonie principuus amator fuit, quippe antequam rebus humanis eximeretur, per hebdomadam bis, in aduentu verò quotidianum ieiunium obseruabat, aliis diebus cæna exigua contentus, vbi magis auribus sacras lectiones, quàm ventri pabula deliciae q̄ parabat. Voluptati deditos, maximè temulentos, mirum in modum aspernabatur. Extra refectioi destinata tempora, neque cibum neque potum sumere visus est. Denique veritati sic studuit, vt verba ipsius, veluti iureiurando firmata fidem facerent omnibus. Nam nemo vnquam, ne ioci quidem gratia, vanum quippiam aut fictum ex eo audierat. Modestus, patiens, blanda, eximiaque grauitate præditus fuit, ludos, iocos q̄, omnes seu rerum turpitudine, seu verborum obscenitate disfluentes, atq̄, adeo quidquid virtuti inimicum est detestari, honestis voluptatibus se oblectare solitus. Semel in anno cum canonicis suis pro consuetudine venationi interfuit.

Primo Pontificatus sui anno & diuini & humani iuris peritorũ consilio, statuta plurima edidit, quæ acclamatione cleri probata, & vulgatissima reddita sunt. Prouincialia quoque, & prædecessorum suorum statuta, quæ iam per diæcesin, sermè consuetudine oblitterata fuerant, in lucem reduxit. Multa insuper alia, quo imperitos & rudes in regenda animarum cura adiuuaret, edidit, prout ex ordinationibus suis animaduertere licet. Synodum singulis bienniis, nisi communi patriæ periculo præpeditus, celebravit; cui ipse præsidens, auctoritate & doctrina sua plurimum profecit; se quoque fraternæ correctioni cleri sui subiicere non dedignabatur.

Monasterium S. Valpurgis in ciuitate Eystettensi situm,  
vbi



ubi regularis obseruantia iam exulauerat, labore maximo, obfistentibus sibi nobilibus multis, reformat, funditusque dirutum, nam vetustate & incuria ferme corruerat, adificiis renouari fecit. In dies, praesulis vigilantia, nedum in spiritualibus, sed temporalibus quoque monasterium augetur. Nam ubi olim vivebant decem tantum, nunc triginta aut quadraginta Christi virginibus pro alimētis redditus monasterij sufficiunt. Eiusdem professionis Monasterium, nomine Bergen adificiis, & obseruantia regulari optimè instauratum reliquit. Canonicos Regulares in Rebdorff vita seueriori instituit, VVindesheimensis obseruantia ritus ac statuta illuc transfrens. Fratres Praedicatores in ciuitate Eystettensi, D. Domini praecepta negligentes, regularem vitam amplecti compulit, rebellibus procul pulsus. Multa denique sollicitudine clero suo inuigilauit, adeo, ut pæne omnium presbyterorum suorum, maximè curatorum nomina, vel personas, & mores probè cognosceret. Itaque diæcesim suam in spiritualibus, quantum hominis diligentia effici potest, optimè institutam reliquit.

Neque in temporalibus minus solers fuit, quippe qui Ecclesia bona & census à praedecessoribus suis quæsitos, non modo cōseruatos, sed auctos etiam successoribus reddidit, tametsi plurimis incommodis & aduersis premeretur. Duo quidem bella grauia sua tempestate emerferunt; primo quod inter Albertum Marchionem Brandeburgensem, cui confæderatus erat, & Nurenbergenses gerebatur; Eystettēsis Ecclesia biennio continuo rapinas, incēdia, agrorumque populationes, patitur, qua re impensam grauem facere, acque alienum contrahere cogitur. Nondum huins belli arumnas satis reparauit Episcopus, & aliud inter Ludonicum Baioaria Ducem, Henrici filium, & Albertum Marchionem praedictum exoritur, quo bello ciuitas Eystettensis à Ludonico Duce obsessa oppugna-



tur. De quo Trithemius in Chronico Sponheimensi. Eodem anno M. CCCC. LVIII. Ludouicus Dux Bauaria magno exercitu Bauarorum, Bohemorum & Australium congregato, ciuitatem Eystettensem obsedit. Sed concordia interueniente, discessit. Ita Trithemius. Postea tamen anno M. CCCC. LX. rupta concordia inter Albertum, Marchionem & Ludouicum, Ludouicus Eichstadium & Episcopatus arces suam in potestatem rededit, vt est in Chronico Elvvacensi, cuius Auctor est Matthæus Mareschalcus.

Capiendi Aichstadij hanc causam Ludouicus habuit, teste Andrea Ratisbonensi in Chronico. Occupauerat Ludouicus Donauverdam. Imperator nomine Imperij ciuitatem repetiit, & vt spoliū redderet, mandauit. Dux nolens eam spoliū nomine possidere, inquit Andreas, tradidit eam in manus Ioannis de Aich, Episcopi Eystettensis, donec iudicialiter decerneretur, cui tradenda esset. Episcopus verò reddidit Imperio. Quo factō Ludouicus obsedit ciuitatem Eychstett, qua per placita se dedit; qua occasione bellum inter Ludouicum & Albertum, Marchionem Brandenburgicum recruduit.

Sed iam denuò supplementum Gundackariau diamus. Deinde sœdus, quod cum Alberto Marchione Iohannes Episcopus pepigerat transactione tollitur. Eo tempore belli, quod biennio, & eo amplius, inter Ludouicum & Albertum gestum est, Ecclesia Eystettensis, tametsi ab armis silebat, ab utroque exercitu, qui haud longè ab agro Ecclesia castra fixerunt, graui incommodo & pressura affecta est. Præter publica bella, latrunculi quamplurimi Ecclesiam etiam infestauerant, ad quorum temeritatem arcendam aris atque opere multum impendit. Et inter hæc atque innumera alia infortunia, vt supra dictum est, census Ecclesia auget, id ex rationum  
libris



libris suis collatis Calendariis prædecessorum animaduertere licet, &c.

Hic etiam pro Republica primo Pontificatus sui anno, Indaos, perniciem Christianorum, à ciuitate & oppidis suis propulit, ac suis, ne mutuū ab eis sumerent, edicto publico vetuit. Taxillorum atq; aliis illiberalibus ludis, quoniam eorum studiosi parum rei sua prospiciunt, similiter prohibitis. Comestationes ac cōiuiua, nisi exiguo sumptu appaata, tanquam virtuti & rei augenda contraria, mirum in modum tum pœna, tum exemplo parsimonia restinxit, qua antehac in ciuitate creberrima fuere: Ius cuique aequè reddere studium fuit. Multa qua in iudicio reformanda viderat, prudentissimè limauit. Inter alia reformationem statutorum, ac iudicij Eystettensis, summo consilio editam, perpetuò obseruari voluit. Ordinem etiam iudicarium compilauerat, iuris scientiam præcipuam redolentem, sed nondum emanauerat, dum mortem obiret. Edidit & alios tractatulos, ac monasterijs chartas, qua rectè viuendi normam darēt, de comparatione vitæ actiua & contemplatiua. Item de constantia ad virgines S. Valpurgis; ac alia quadam reipublicæ ac religioni proficua. Ciuium odia & simultates, tanquam reipublica pestem, acerrimè resecauit pacis amator præcipuus. Nihil sine consilio agere solebat. Fuit sane speculum & decus Pontificum, testimonio omnium, qui ipsum nouerant, iure optimo reputatus, qui & Principem & Episcopum ac patrem sese exhibere nouerat. Canonicorum suorum amans fuit, eorum maximè, qui exemplo iuuentuti prodesse, vel quorum in doles senibus spem bonam polliceretur, &c.

Die Innocentum veluti testamentum facturus, percepta prius sacra communione, atq; unctione extrema, seniores capituli, Iohannem de Heltpurg Decanum, Ioannem de Leonard, & quosdam alios accersit, his verbis eos compellans. Non  
ignora-



ignoratis, venerabiles viri, mortem communem omnibus, horam verò eius nulli satis exploratam esse. Itaque ne me imparatum ea inueniat, Sacramentis, ut religio nostra suadet munitus itineri ex hac mortali vita me accinxi. Solent autem pari atque ego sum vinculo astricti, testamenta condere, ego cum D. Augustino sine testamento, quoniam unde id faciam non habeo, decedere tutius duxi: hoc tamen, siquid unquam de Ecclesia bene merui, exorari vos velim, ut dum carnis intra persoluerò, funus primo ad hospitale nostrum afferrì, atque illic exequias peragi curetis, distributuri miseris inibi degentibus argentum, ut habeant eleemosynam Ecclesia, ut pro nobis ad altare offerant, quam oblationem Deo gratam, & mihi profuturam maximè non ambigo. Deinde apud Ecclesiam cathedralè Deo optimo sacrificiis placato, S. Valpurgæ templo funus reddi, terræq; mandari iubeo. Præter id nihil efflagitarat, nisi ut mercenariis atque ministris, aliisq; creditoribus satisfacerent. Respondebant canonicis, quantum lacryma sinebant, si qua maiora pcteret, morem geri oportere, ita de Ecclesia meritis esset. Abscedunt mæsti, nam signa mortis certissima apparebant. Sed cum nemo mortis nuncius esse vellet, tandem Ioannes Mendel Cancellarius suus, quem eximè charum habebat, animatus, veluti per ambages primum progrediens, huius seculi vanitates detestatus, æterna vitæ cupidinem, quo mortem æquius ferat, multa ratione persuadet, adiciens mortem iusto requiem, sceleratis verò, quos tormentamant, formidabilem videri, morbum autem, quo premeretur, remedium atq; piaculum peccatorum asseuerans. Non sunt, respondit Præsul, condigna passiones huius seculi, ut Paulus ait, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. At Iesu Christe fili Dei, misericors humani generis Saluator, per mortem & passionem, quam pro nobis peccatoribus pertulisti, respice me indignam creaturam tuam, & ex hac vita migranti



granti auxiliatricem manum porrige, Deus meus misericordia mea.

Acceptam deinde Crucifixi imaginem, quam Cancellarius manu tenebat, pectori admouens, utroque brachio strinxit, ac deosculatur, orationes deuotissimas primò crucifixo eius, deinde genitrici, VVillibaldo, & VValpurga patronis postremò, dixit. Orabant presbyteri litaniam, quibus deuotè respondēbat. Manus post hoc auxilio eorum, qui aderant, eleuans, atque ad cælum protendens, multas ex ordine orationes habuit, hoc versiculo sepius repetito, concludens. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Moritur autem Cal. Ianuarij mane hora quarta, anno Domini M. CCCC. L. XIV. at ætis sue sexagesimo, cum iam sedisset annos octo & decem, menses tres, cuius corpus in monasterio S. VValpurga in Capella S. Agnetis conditum est.

Pius II. Pontifex Maximus audita morte Ioannis dixisse fertur in cœtu Cardinalium, Ecclesiam meritò lugere debere, quandoquidem columnam auream, & Ecclesia precipuam, & Alamannia notabilem prælaturum perdidisset. Hactenus Appendix ad Gundackarum, cui etiam inserta est epistola Æneæ Syluij, postea Pij II. ad Ioannem, cuius exemplar huc transcribere placet, tum alias ob causas, tum quia non parum discrepat ab illa, quæ in editione Basileensi operum Æneæ Syluij legitur lib. I. epist. num. 79.

Aeneas Syluius Senensis, Imperialis Secretarius S. P. D. Reuerendo Patri ac claro Principi Iohanni de Aich, electo Eystettēsi. Fecisti perbenignè, Pater optime, quod in literis tuis, quas huc ad amicos misisti, de tuo successu, mei quoque memoriam habuisti. Nec enim Aeneam tuam, qua tibi obuenerant bona ignorare uoluisti, quem sciebas tuo gaudio solidè gauisurum. Ego igitur, vir præstâtissime, gratias imprimis Deo Opt.

T. Max.



Max. refero, qui te dignis honoribus extulit. Post hoc magno-  
perè laudo Capitulū tuum, singulosq; Canonicos, qui sua pro-  
uisorem Ecclesie, non ut plerique faciunt, qui indoctos, impe-  
ritos, inexpertos, inertesq; assumunt: Sed te virum scientia  
iuris, ac omnium litterarum peritia clarum, in rebus agendis  
diu versatum, apud Principes etiam singulari solertia predi-  
tum, elegerunt. Vtinam horum exemplum & alij sequen-  
tur. Nempe non sic laicorum impressionibus Ecclesia terre-  
rentur, Si earum gubernacula apud eos essent, quos studere  
sapientiæ contigisset.

Postremò tibi admodum regrator, qui factus maior non  
despicias me minorem, ut plerumque fieri solet. Mos enim ho-  
minum est, ut qua infra sunt, semper contemnant. Hinc vul-  
gò proverbium est. Societates hominum dirimi, quoties alium  
alius dignitate vel opibus excedere cepit. Sed ista inter ple-  
beios contingunt, qui non in virtute, sed utilitate omnem vi-  
ta rationem ponunt. Viri autem boni & virtutis amatores,  
ut magis eleuantur, eo magis amicorum meminerunt. Nec  
enim Africanus iunior Laly unquam oblitus est, aut eum par-  
ui fecit, quamuis ipse duos consulatus, cum summo populi de-  
siderio suscepit, ille verò candidatus ex petitione deiectus fue-  
rit. Nec Perithemus Archytam neglexit, quamuis fortunatus,  
ille verò captivus esset, sed libertatem amico impetrauit. A-  
micitia enim, qua inter virtutes est, nec varietate fortune,  
nec tempore minuitur. Ita inter nos esse video bonitatem tuam.  
Quia licet inter Antistites Ecclesiarum, & seculi principes  
sublimatus sis, qui modo priuatus fuisti, non tamē mei memo-  
riam ponis, sed inter varias occupationes, qua in principis  
dignitatum adeptarum euenire solent, inter magnas curas,  
interq; diuersos strepitus, de me scribere non neglexisti. Indi-  
cium est mihi hoc maximum, firmam esse, stabilem, perpetuam  
& immortalem benevolentiam nostram.

Verum,



Verum, Praesul amantissime, quamuis ego mihi gaudeo, quod amicum honoribus auctum, & in sublimi positum video: Tibi vero an gaudere debeam, haereo. Nam tuam dignitatem, tuasque diuitias multa cura, multa anxietates, multi metus sequentur. Nec enim augeri opes possunt, quin & labores crescant. Omnis potestas subiecta est inuidia. Qui Episcopus est in specula sedet, omniumque oculos in se conuersos habet. Si benefaciat, fecisse debitum dicitur; si male; linguis omnium carpitur. Addo, quod nemo tam sancte viuere potest, quin aliqui se offensos putent. Nihil est, mihi crede, in hac vita mortali durius, quam Pontificatum gerere. In quo si Deo places, hominibus displices. Seruare medium, arduum est. Vt cunque sit, nauigandum est hoc pelagus, pro salute communi seruandum est reipublica. Nec enim nobis nati sumus, (ut Plato dicebat) sed ortus nostri partem amici, partem patriae vendicant. Ego autem addo partem etiam Ecclesiae deberi. Et si nos totos obligatos sibi dixerim, qua nos Christo regenerauit, non errauerim. Exinde cum te intus & in cute nouerim, moderationemque tui animi sciam, nullum mihi dubium est, quin tuus honor perpetuo duret, cum tua sit virtus aeterna. Et si Magistratus virum ostendit, ut Bias inquit, in hoc Pontificio tuo praestantes animi dotes, qua latebant, manifestabis, sed omnia haec cum labore multo, diuersisque anxietatibus facies.

In omnibus his tamen moneo te, precor, obtestorque, ne magis populo, quam tibi viuere studeas. Metire tempus tuum, & aliud reipublica tribue, aliud tibi retine. Relaxa nonnunquam curas, animumque oblecta. Scipio Laeliusque, de quibus supra memini, quamuis magni essent viri, & reipublicam suis ingeniis, studiisque sustinerent, nonnunquam tamen in Laurentem agrum exeuntes, sic se otio, quietique dabant, ut conchas umbilicosque legentes, ad magnam diei par-



tem iactu lapillorum oblectarentur. Oportet sic agere, mihi crede, praesul insignis. Nam qui semper seria tractat, quamuis non est mortuus, viuens tamen moritur. Tu ergo, qui iam maximam dignitatem adeptus es, effice, ne te magis dignitas possideat, quam tu illam in potestate habeas. Multi sunt modi, quibus animus relaxatur. Interdum libris indulgendum, interdum venatibus non prohibitis ac piscationibus. Multi sunt modi mentis secessus. Cura ut fideles comites habeas, cum quibus non aliter, quam tecum ipse loquaris. Inter omnia hominum oblectamenta, nulla maior voluptas est, nulla iocundior, nulla securior, quam cum fideles amici inuicem coeunt. Denique ita est, nullius boni (ut Seneca dicit) sine socio iucunda possessio est. Quanto quis maior est, quanto ditior, quanto potentior, tanto fideli amico magis indiget. Tibi hac pluribus verbis dico, quam opus fiet. Tu hoc partim legendo, partim inter homines viuendo didicisti. Fac ergo uti opus sit. Ego mihi ipsi congratulor, quod te sic sublimatum audio.

Scripseram tibi nuper de miseris Curialium longam Epistolam, sed tu iam in eo statu es, ut his scriptis non indigeas, curabo tamen, ut epistolam videas. Nam quanto maiores sunt illorum anxietates, qui principibus seruientes tadia subeunt curiarum, tanto magis letaberis, cum te his liberatum videbis. Apud Italos Antonius Massanus, ex ordine Minorum, magnus verbi Dei praedicator fuit, Cuius sermo tam populo acceptus erat, ut ad magnam diei partem absque cibo audiretur, callebatque homo & graecas & latinas literas, hunc sua virtus generalem Ordinis Magistrum fecit, post Episcopum Massanum. Non tamen tot dignitatibus auctus, sermonem deseruit. Me praesente, Senis praedicare de paupertate cepit, multaque incommoda pauperum, multasque miseras in medium adduxit. Exinde quid dicam inquit? Tot sunt paupertatis tadia, ut nihil supra. Ego quidem gratias Deo refero, qui per



per Episcopatum his liberatus sum. Sic ergo & tu dicere potes. Nam Episcopatus ex miseris curialium te extraxit, quod tibi mihi incundum est, quàm tibi utile. Tu vide, ut diues factus, sis non pauper: iam tibi facultas est, qua potes quàm multos ditare. Cura homines dignos promoueas. Non tamen sic te lege hac astrinxeris, quin etiam pro tuo libitu aliquibus non excellentibus omnino benefacias. Is cui scripsisti de tua promotione, multum in te sperat, vir bonus est, & tui amantissimus. Fac ut eius notitia non sit apud te infructuosa. Inter alios autem, quos dignos & virtute prestantes ad beneficia Ecclesiastica promoueris, si vnum vel alterum minus dignum subleuaueris, non erit reprehendendum, quia non vituperatur, qui errat semel, sed qui errat magis, quàm benefacit. Concedendum est aliquid amicitie, atque consuetudini, non tamen cum praiudicio veritatis, quam Platoni prætulit Aristoteles, meo iudicio magis fama, quam veritatis amore. Michaël Pullendorf Secretarius regius, ex tua promotione mecum letatus est valdè. Nec ego quenquam scio, qui dignitatem in te collocatam non magnopere commendet. Vale ex Vienna, die XXI. Octobris. Anno M. CCCC. XLV.

Teritur eiusdem Æneæ suprâ memoratus, isque elegans libellus ad eundem Ioannem, necdum Episcopum creatum, de Curialium miseris, quas ut copiosè, ita profectò scitè depingit, oculisque subiicit, scripsit autem Æneashū libellum eodem anno, quo Joannes Episcopali infula redimitus est, nempe anno M. CCCC. XLV.

Cum Gallia Delphinus Alsatiam inuassisset, misit ad eum Fridericus III. Imp. Episcopum Augustanum, & Ioannem de Aich, sciscitatum, quid causæ sit, cur Imperij fines cum valido exercitu intrauerit, ut scribit Æneas lib. I. epist. LXXXVII. Ex quo apparet



magnam fuisse Ioannis istius in Aula Imperatoris estimationem. Eiusdem tanquam Regij Legati ad Concilium Basileense meminuit idem Aeneas in ipso statim vestibulo Commentarij de Concilio Basileensi, cumque plurimaelectionis Iureconsultum appellat.

Plures synodos dioecesanarum & plura synodalia decreta videtur Ioannes edidisse: ex quibus in Compendio statutorum Eystettensium sub ipsa ferme Typographia incunabula excuso, reperitur Decretum de quatuordecim Articulis vel potius partim abusus partim vitiis extirpandis; & Germanica instructio ad confessionem annuam ritè obeundam. Decretum illud editum est anno M. CCCC. LIII.

Successor quoque Ioannis Wilhelmus synodales quasdam regulas eiusdem Ioannis denuò publicavit, earumque observationem omnibus dioecesanis iniunxit his verbis: *Statuta quadam synodalia, felicitis memoria Domini Ioannis, immediati praedecessoris nostri, anno Domini M. CCCC. XLVII. in synodo pro tunc publicata, prout iam pridem similiter ac per nos actum est, ratificauimus, & nunc praesentibus ratificamus, certo moderamine in eisdem observato, prout ex infra scriptis nostris statutis intelligetis.*

Exstant istae constitutiones Ioannis in supradicta Epitome statutorum synodaliū Eystettensium, vbi Ioannes, inter caetera, ita praefatur. *Edidimus synodalia statuta nonnulla, in his per bonae memoriae quandam Reimboldum, Philippum, Berchtoldum & Albertum immediatum praedecessores nostros promulgata renouantes, &c.*

Habuit graues controversias cum capitulo suo super Iurisdictione Cleri, qui est in ciuitate Eystettensi, nam hinc Episcopus, inde Decanus cathedralis eam sibi vendicabat. Tandem res à Nicolao V. Pontifice deman-



demandata est Nicolao S. Petri ad Vincula Cardinali, Apostolico per Germaniam Legato, qui litem composuit anno Domini M. CCCC. LI. Quæ compositio exstat in epitome statutorum synodaliū Eystettensium.

Huic Præsuli à Pio II. Pontifice Max. demandatum est, quod in Chronico Sponheimensi his verbis Trithemius memorat. *Hoc anno M. CCCC. LXI. Pius Papa II. scripsit & commisit & mandavit Episcopo Eystettensi, quatenus assumptis ad se viris probis, religiosis & peritis, euocatisq; euocandis, tres illas obseruantias Ordinis nostri, in Alemannica natione nouiter instauratas Bursfeldensem, Mellicensem, & Castellensem, & si quæ essent alia, reduceret in unum auctoritate Apostolica, contradictores per censuras Ecclesiasticas ad obedientiam compellendo. Huius occasione mandati multi interea sunt facti labores & expensa diuersis temporibus: sed vsque in hunc diem nullus est secutus effectus, propter nimiam diuersitatem ipsarum trium obseruantiarum in multis.* Hæc Trithemius.

Huius Episcopi iussu in membranis puris, mundo caractere descriptæ sunt historiæ patronorum Ecclesiæ Eystettensis, vita scilicet S. Willibaldi, Auctore Philippo XXXIX. Episcopo Eystettensi, quam nunc primum in lucem proferimus. Vita S. Walpurgis, eodem Philippo Auctore. Vita & miracula eiusdem Virginis à Wolffardo Hasenrietano libris quatuor comprehensa vnâ cum rhythmis Medibardi de eiusdem Virginis miraculis. Hodæporicon seu Itinerarium S. Willibaldi, & vita S. Wunibaldi. Codex, qui hæc omnia continet, asseruatur Eystadij in Arce Episcopali; absolutus anno Domini M. CCCC. LVI. Ex quo apparet, præsul huic curæ fuisse, vt memoria diuorum



uorum Eystettenſium non intercideret, ſed ſemper recens & quaſi vegeta ad poſteros transmitteretur.

## LI. Wilhelmus.

Ex nobili familia de Reichennavv, Decretorum Doctor, antea Eccleſiæ Eystettenſis Canonicus & Propoſitus, electus in Episcopum XVI. die Ianuarij anno ſalutis M. CCCC. LXIV. Et à Pio II. Pontifice Max. confirmatus. Regalia accepit à Friderico III. Imp. Neustadij in Austria, cui charus & perquam acceptus erat, ſæpiusque in Comitibus & conuentibus Imperij, vices Imperatoris geſſit; à quo, vt & à Maximiliano filio, poſtea patris in Imperio ſucceſſore, varia priuilegia & immunitates pro Eccleſia Eystettenſi obtinuit.

Sub hoc Episcopo conditum eſt ſanctimonialium Monasterium *Marienstein*, (Mariæ Lapis) inter Eychſtadium & Rebdorffum; & aliud eiufdem ſexus Mariæburg prope oppidum Arnbergam, vtriuſque ſtructuram & prouentus non parum ſua liberalitate iuuit ac promouit. Feſtum præſentationis Deiparæ Virginis in Eccleſia cathedrali perque totam ſuam diœceſin celebrari iuſſit. Reliquias vel aliquid de Reliquiis S. Willibaldi, S. Walpurgæ, & S. Richardi vnâ cum *Legendis, Officiis ac Reſponſoriis in Notis*, Regi Angliæ (qui vel Richardus III. vel Henricus VII. erat) tranſmiſit, Cuiſacra iſta munera gratiſſima acciderunt; moxque in honorem iſtorum Cælitum diem feſtum indixit. Landiſhutæ cum Imperatore Friderico, multisque aliis tã Eccleſiaſticis, quàm politicis principibus nuptias Ducis Bauariæ Georgij cohonestauit, vt ſcribit Andreas Ratiſbonenſis in Chronico anno M. CCCC. LXXV.